



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 3. Cui Confessioni sit annexum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

satiis imposita strictissima & universalissima obligatio Sigilli, ergo &c.

Et hoc Jus divinum vult Lugo *Disp. 23. n. 9.* esse naturale, quia supposita institutione Sacramenti Pœnitentiae cum tanta integritate videtur ipsum lumen reparationis cuivis dictare, quod obligemur, audit a in eo servare secreta. Sed an cum tam omnimoda obligatione, quam sigillum Confessionis habet, est satius dubium. Itaque expeditius est, si cum Laym. *I. 5. tr. 6. cap. 14. n. 2.* Coninch. *de Sacram.* *Disp. 9. n. 34.* & alius dicitur, Jus illud divinum esse positivum, naturæ tamen Sacramenti, ejusque institutioni valde conveniens. Laym. *I. c.* vel etiam connaturale. Fagund. *cit. I. 6. cap. 1. n. 7.* & *12.* contineturque saltem virtuiter in Præcepto divino, de materiali integritate Confessionis. Dicast. *Disp. 12. n. 11.*

§. III.

Sigillum cui Confessio sit annexum?

185. Sigillum, ejusque obligatio annexa est soli Confessioni Sacramentali. Palao *de pœnit.* *Disp. un. p. 19. §. 2. n. 1.* & quidem omni. Coninch. *Disp. 9. n. 4.* Dicast. *Disp. 12. n. 24.* tam ei, quæ strictè & propriè est talis, *sup. I. 1. p. 3. n. 25.* descripta; quam ei, quæ est tanquam quasi talis, & fit ad modum Sacramentalis, Tolet. *hb. 3. cap. 16. n. 7.* ex communis; quia alioquin homines absterrerentur adhuc à Sacramento Pœnitentiae; cum deberent timere, ne ipsorum Confessio haberetur non pro verè, sed tantum pro quasi Sacramentali, possitque

invitis illis revelari aliis. Quid autem jam sit Confessio Sacramentalis proutest aliquid utrius commune, à variis variè explicatur; & videtur operæ pretium, aliquorum opinionem verbatim referre.

Dicitur ergo I. esse Confessio, quæ fit Sacerdoti, saltem existimato, cum intentione percipiendi absolutionem, Palao *I. c.* Idem ferè est, cùm dicitur II. esse accusatio peccatorum, facta Sacerdoti vero, vel probabilitate existimato in ordine ad absolutionem; ut concinnavit Gobat. *tr. 7. n. 9.* III. esse illa sola & omnis, quam pœnitensei, quem bona fide credit esse Sacredotem, facit in ordine ad absolutionem percipiendam: etiam si hanc non percipiat, eò quod sit indispositus; vel quod Sacerdos eum non possit absolvere, vel ob alias causas; ut exponit Coninch. *de Sacram.* *Disp. 9. n. 4.* IV. esse illa, in qua manifestantur Sacerdoti peccata per ordinem ad Confessionem, factam animo se accusandi ad obtinendam absolutionem. Dicast. *I. c.* V. esse illa, quæ fit cum intentione se accusandi coram sacerdote (vero vel bona fide existimato) tanquam Judice constituto à Christo, ut ab eo absolvatur, vel iuvetur eo modo, quo judicaverit expedire. Reginald. *hb. 3. n. 8.* VI. esse illa, quam pœnitens facit alicui tanquam Judici in foro interno, ut iste judicet de ipsius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod adhuc deesse censer, ut possit absolutionem aliquando obtinere; vel VII. esse illa, per quam pœnitens vult facere aliquo modo id, quod Christus præcepit. Ultramque hanc definitionem tradit Lugo *de pœnit.* *Disp. 23. n. 45.* habetque *n. 46.* pro Confessione Sacramentali

ART. V. De Obligatione ad Sigillum. SECT. I. De Sigillo Confessionis &c.

tali etiam illam, quam pœnitens facit cum animo se accusandi, absolutionem tamen non tunc, sed alio opportuno tempore recipiendi; & n.44. illam, quam Confessarius ab initio protestatur, si non velle ullo modo audire; pœnitens tamen nihilominus pergit ita sua peccata enarrare, ut ille adhuc possit, & etiam nolens debeat audire; idque etiam approbat Dian. p.5. tr.11. Ref.34. frustre repugnante Dicast. l.c. n.33. VIII. esse illa, quā quis peccata sua Sacerdoti revealat animo se accusandi; etiamsi ab eo nolit absolvī, sed tantum consilii causa ad bonum spirituale vel temporale. Sylv. apud Fag. Præc. 2. lib. 6. cap. 4. n.24. quia si Confessio fiat cum animo se accusandi, vel procurandi bonum proprium ad solatium anima, est etiam hæc vera Confessio, inquit Fagund. saltem *dispositivè, reductivè, & inchoativè*. IX. esse illa, quam quis facit animo se accusandi, vel implendi præceptum Ecclesiæ. Fag. l.c. n.26. etsi ob defectum aliquem re ipsa non impletat: & sic n.25. dicit, ad Sigillum obligare etiam illam Confessionem, quam facit meretrix cum animo tantum implendi præceptum annua confessionis, non tamen desistendi à statu malo.

Ex quibus omnibus patet, ad confessionem, ut sigillum ejūque obligatiōnem inducat, sitque vel verē, vel quasi, & late modo Sacramentalis, sufficere, si à pœnitente fiat explicitè vel implicitè, determinatè vel disjunctivè cum animo se accusandi in foro pœnitentia; vel si fiat explicitè aut implicitè, absolutè vel conditionatè, mediatè vel immediatè in or-

R. P. Seoz. Trib. Pœnit. Lib. II.

dine ad absolutionem, tunc statim vel postea aliquando licetè vel illicitè, validè vel invalidè impetrandam. Unde non male etiam cum Laym. l.s. tr.6. cap. 14. n.1. dici potest esse illa, quæ tendit ad. Sacramentum pœnitentia saltem secundūm propositum confitentis; vel cum Tamb. de Confess. l.s. cap. 1. n.5. illa, quā aliquo tandem modo intenditur absolutio.

Vult quidem Coninch. cit. Disp. 9. n.41. eūmque secutus Palao l.c. §.4. n.3. & 8. quod confessio seu manifestatio peccatorum, cui Christus obligationem Sigilli imposuit, sittantū illa, quæ necessaria est, ut quis possit directè ab iis absolvī, & integrè ea confiteri; atque ita videntur suas suprà allatas definitiones velle declarare. Sed quia hoc est contra communem aliorum sensum; & inde contra ipsum Coninch, ac Palao sequitur, quod ille, cui Confessarius peccatum pœnitentis sine ejus licentia, injustè & sacrilegè revelavit, non obligetur Sigillo; cùm hujusmodi manifestatio peccati utique non sit necessaria ad directam absolutionem aut integratam confessionis; ideo meritò non admittitur, & à Lugone cit. Disp. 23. n.33. reprobatur.

SECTIO II.

De Obligatione Sigilli Confessionis.

Quadruplex h̄ic occurrit Quæstio. 1. Qualis sit Obligatio Sigilli? 2. Quanta sit? 3. Quænam cadant sub Sigillum? 4. An & quomodo cum ipso pœnitente servandum?

P. 1. S. 1. I.